



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Societatis Iesv Sive Propvgnacvlvm: Pontificum,
Conciliorum, Cardinalium, Antistitum, nec non
Imperatorum, Regum, Principum & aliorum Virtute,
Religione, omniq[ue] Literatura illustrium (etiam ...**

Gomez, Cristobal

Antverpiæ, 1681

Congregatio Lusitana n. 10

urn:nbn:de:hbz:466:1-38486

alterius instituti professorem, subditum esse: quare si quid ab ipso in hoc genere hucusque peccatum est, vel peccati in posterum (quod Deus auertat) contigerit: tum ipsos Societatis alumnos, tum alios quoscumque omnes enixe rogatos volumus, vt certo sibi persuadeant id communi totius Congregat. Cassinensis sensui, & in Societatem IESV peculiari obseruantia omnino aduersari, & repugnare. Dat. Rauenn. in nostris Gener. Comitijis die 23. April. 1644. Ita apud P. Tellez 1. Par. Hist. Soc. Lusit. in Prologo.

10. A CONGREGAT. LVSITANA in Decreto contra eundem Constantinum, & Ioannem à Sancto Thoma eius in scribendo affectam, quod sic se habet. Cum nostra Benedictina Congregatio Lusitana, summo semper, vt par est studio, ac reuerentia doctissimam, ac religiosissimam Patrum Societatis IESV familiam profecuta sit, idque omnes Christianæ disciplinæ, nec non arctioris Instituti sectatores deceat, vt charitate simul ambulantes, honore se inuicem præueniant, testamur nos infra scripti prædictæ Congregationis Abbas, Generalis, & Definitorum ad hoc specialiter congregati, in libro scripto Historia Benedictina vernaculo idiomate Lusitano, nuper edito à Nostrò Reuerendo admodum Patre Magistro Ioanne à Sancto Thoma Congregationis nostræ Lusitanæ Monacho, & in Conimbricenti Academia primario Theologiæ Professore, nonnulla referri ex Constantino Caietano nostræ item Congregationis Casinensis Monacho, quæ vt prædictæ religiosissimæ Societatis existimationi aduersantia, sic minus probabilia, quàm fides Historiæ postulat, ab ipsa Congregatione nostra Casinensi (quam vt parentem libenter veneramur) Decreto publico indicata iam sunt: quo circa ea sine fundamento à primo Auctore vulgata aut excogitata, & minus consideratè à secundo relata, certe à communi Congregationis nostræ sensu aliena declaramus: in quorum fidem testimonium hoc scribi iussimus, & nomina nostra subscripsimus: Religiosos Sacræ Societatis enixe rogantes, vt de anti-

Societas
iterum contra
Constantinum,
& affectam
defensa.

qua illa nostra in ipsos obseruantia, quam hætenus experti sunt, nihil detractum, vel diminutum fuisse, vel etiam in posterum fore sibi certo persuadeant. Datum in hoc nostro Monasterio Tabanensi, die 29. Octobris, anni 1645. Ita apud P. Danielem Bartoli in *vita S. Ignatij lib. 1. fol. 80. num. 21.*

Aguntur
gratia Pa-
tribus Cas-
nensibus
Congrega-
tionis Ita-
liae, & Lu-
sitaniae pro
beneficio in
Societatem
collato.

Tanti fecit Societas IESV duplex hoc Decretum, ut in sua Congregatione VIII. Generali gratias rependat duplici altero Decreto 13. & 26. Et hoc inter alia sic ait. Quibus auditis (duobus nempe Decretis iam datis) censuit Congregatio, imprimis Venerabilibus illis Patribus, totoque religiosissimo Cætui, quam maximas gratias haberi, agique oportere, quod æquitate, ac charitate, religiosissimo Ordine plane digna, bonam Societatis existimationem, etiam aduersus suos ipsorum alumnos defendendam susceperint. Deinde huius quoque recentis beneficij notitiam publico Decreto ad omnes socios, tum hodiernos, tum posteros transmittendam; ut, & quantum sanctissimo Ordini Societas debeat, intelligant vniuersi, & omnibus charitatis, ac venerationis Officij parem illi gratiam referre contendant. Hætenus Decretum.

Templa Te-
suitarum
Paradisi
imagines.
Non alteri
quam Ma-
riae Igna-
tius arma
summittit.
Eph. 6. 17

Ille Hære-
sam iugu-
lator.

II. * AB ANTONIO PEREZ *Ordinis Generali dignif-
simo in ser. de Beatificat. S. Ignatij, Vallisoleti typis edito ann. 1610.*
fol. 15. Talis (inquit) est huius Religionis Templorum nitor,
qualis in retroactis sæculis nunquam visus, adeo ut quodlibet
illorum viuida Paradisi imago sit. Et fol. 17. Cum ad aras
B. Virginis in Monte-ferrato Ignatium arma suspendentem contem-
platur, Vix (ait) alteri quam Mariæ illa arma posse summitti,
cui vel ipse Deus sua (Æternum videlicet Verbum, iuxta illud
Gladium spiritus, quod est Verbum Dei. Ad Ephes. 6.) sub-
iecerat: *Additque*; Sicut de Beata Virgine Dei Genitrice occi-
nit Ecclesia: cunctas hæreses sola interemisti in vniuerso
mundo, ideo Ignatius ad Virginis ædes arma suspendit, ut
inde fortiora mutuans, cunctas hæreses iugularet: per filios
nimirum Doctores, Cathedricos, Theologos, eruditissi-
mosque